

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project  
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia V. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio  
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.15ra-17vb)

Hoc autem totum factum est, ut impleatur quod dictum est a domino per prophetam dicentem. Ecce uirgo in utero habebit, et pariet filium, et uocabit nomen eius ihesum.

Multos audio dicentes, quoniam **presentes** quidem et audicione hac utentes, comprimimur et compungimur. Egressi autem alii pro aliis efficimur, auiditatem desiderii extinguentes. Quid igitur fiet ut non hoc fiat? Intueamur unde fit. Vnde igitur fit haec transmutatio nobis? A conuersione non decenti, et perniciosorum hominum colloctione. Non enim oportebat a conuentu qui hic est secedentes uos, ad ea quae non decent hunc conuentum immittere uos ipsos negocia, sed confestim domum uenientes, libros pertractare, et uxorem et filios ad communionem recollectionis eorum quae dicta sunt uocare, et tunc secularia **tangere** negocia. Si enim a balneo ueniens, non sustineres ad forum ire, ut non ei quae inde est remissioni, negocia quae in foro sunt officerent, multo magis a conuentu isto hoc facere oportebat. Nunc autem contrarium facimus. Propter hoc quippe, et **opera** perdimus. Nondum enim utilitate eorum quae dicta sunt, in mente bene infixata, multa ruina eorum quae exterius incidunt, omnia subtrahens secedit. Vt igitur non hoc fiat a conuentu isto secedens, nichil fac magis necessarium, recollectione eorum quae dicta sunt. Etenim ultime ingratitude utique erit, quinque **et** sex dies secularibus negotiis attribuentes, spiritualibus neque unum diem, magis autem neque paruam diei partem dare eis. Nonne uidetis pueros uestros quoniam disciplinas quascumque susceperint, has per totam meditantur diem? Hoc utique et nos operemur, quia aliter plus nobis nichil erit ab eo qui hic est aduentu, in dolio perforato haurientibus secundum unamquamque diem, et non tantum **prebentibus** studium custodiae eorum quae dicuntur, quantum circa aurum et argentum demonstramus. Denarios enim aliquis paucos accipiens, et in marsupium deponit, et sigillum imponit. Nos autem argento et lapidibus preciosis, **honorabiliora** accipientes eloquia, et spiritus suscipientes thesauros, non in promptuariis animae deponimus, sed simpliciter et sicut contingit sinimus a nostra mente ea defluere. Quis igitur nobis miserebitur de reliquo insidiantibus nobismetipsis, et in tantam immittentibus nos paupertatem? Vt igitur non hoc fiat, scribamus nobismetipsis legem immobilem, et uxoribus et filiis nostris unam septimanae diem, hanc quae est auditionis huius totam ponere recollectioni eorum quae dicta sunt. Ita enim et dociliores ad ea quae dicenda sunt **obuiabimus**, et nobis minor labor erit et uobis lucrum plus, cum ea quae antea dicta sunt in memoriam ferentes, ita posteriora audieritis. Non enim parum et hoc expedit ad intelligentiam eorum quae dicuntur, consequentiam earum quae a nobis subtexuntur uobis sententiarum, cum diligentia nosse. Quia enim non est omnia in una submittere die, quae in multis uobis tradita sunt diebus, memoriae continuitate uelut catenam quandam facientes, ita utique circumimponere animo, ut integrum appareat corpus scripturarum. Recordantes igitur uosmetipsos eorum quae heri dicta sunt, ita et hodie ad ea quae preposita sunt eamus. Quae autem sunt quae preposita sunt hodie? Hoc autem totum factum est, ut impleatur quod dictum est a domino per prophetam dicentem, ut dignum erat huic miraculo, sicut ei possibile erat, exclamauit dicens. Hoc autem totum factum est. Quia enim uidit pelagus et abyssum phylantropiae id est misericordiae dei, et quod nunquam speratum erat inopus deuenisse, et naturae solutas leges, et reconciliationes factas, et eum qui omnibus erat superior ad eum qui

Commented [ND1]: [fol.15rb]

Commented [ND2]: uel tractare *add. super lin.*

Commented [ND3]: uel omnia *add. super lin.*

Commented [ND4]: uel *add. super lin.*

Commented [ND5]: uel prebentes *add. super lin.*

Commented [ND6]: [fol.15va]

Commented [ND7]: obuiabitis *add. super lin.*

omnibus erat inferior descendisse, et medios parietes solutos, et prohibitiones destructas, et multo ampliora his alia effecta, uno uerbo representauit dicens, hoc autem totum factum est, ut impleatur quod dictum est a domino. Ne estimes ait, quod nunc haec placuerunt, olim preordinata sunt. Quod et paulus ubique monstrare studuit. Et mittit ioseph ad ysaia, ut etsi uerborum eius oblitus fuerit excitatus, ceu nuper dictorum propheticorum quibus enutritus est semper uerborum rememoretur, et quae ab ipso dicta sunt retineat. Et mulieri quidem nichil horum dixit, quasi pupillae et inexperte horum existenti. Viro autem quasi iusto existenti et meditantem in prophetis hinc loquitur. Et ante hoc quidem mariam mulierem tuam dicit. Hic autem cum prophetam traxit in medium, tunc ei credit uirginitatis nomen. Ita enim utique hic non turbatus mansit, audiens uirginem primum ab ipso et ab ysaia. Etenim nichil alienum sed assuetum, et in multo tempore meditatam, erat auditurus a propheta. Propterea faciens angelus credibile quod dicebatur, inducit in medium ysaia, et neque hic stat, sed ad deum refert sermonem. Non enim eius ait esse quod dictum est, sed uniuersorum dei. Propterea non dixit ut impleatur quod dictum est ab ysaia. Responsum autem desuper ferebatur. Quod igitur est responsum hoc ait? Ecce uirgo in utero habebit et pariet filium, et uocabunt nomen eius emmanuel, quod est interpretatum nobiscum deus. Qualiter igitur non uocatum est nomen eius ait emmanuel sed ihesus christus? Quoniam non dixit uocabis sed uocabunt turbae, hoc est et rerum euentus. Hic enim ei quod accidit nomen imponit, et consuetudo est hoc scripturae, res quae contingunt pro nominibus ponere. Nichil enim est aliud ait uocabunt emmanuel, quam quod uidebunt deum cum hominibus. Semper quidem enim fuit cum hominibus, nunquam autem ita manifeste. Si autem inuerecundi fuerint iudei, interrogabimus eos, quando puer uocatus est, uelociter spolia, diripe, acute distribuatur. Sed nequaquam habebunt hoc dicere. Qualiter igitur propheta dixit, uocabunt nomen eius uelociter spolia diripe? Quoniam nato eo direptio et spoliorum facta est diuisio. Propterea quod accidit ei ut nomen imposuit ei. Et ciuitas autem ait, uocabitur ciuitas iusticiae metropolis fidelis syon, et nusquam inuenimus quod iusticia uocata est haec ciuitas, sed mansit ierosolyma uocata. Sed quoniam hoc euenit ea ad melius transmutata, propterea eam ita uocari dixit. Cum enim aliqua contigerit res, quae denominatione manifestius cognoscere facit dirigentem uel assumentem eam, nomen ei ait esse, huius rei ueritatem. Si autem hinc obstructi, aliud quesierint id quod de uirginitate dictum est, et induxerint nobis alios interpretes dicentes, quoniam non dixerunt uirginem sed iuuenulam, primum quidem illud dicemus, quoniam aliis omnibus magis credendum est. Septuaginta interpretibus et iuste. Qui enim post christi presentiam interpretati sunt iudei manentes, iuste utique suspecti erunt, quasi ex inimicitia magis dicentes, et prophetias studiose obumbrantes. Septuaginta autem et ante centum uel plures annos christi presentiae ad hoc uenientes. Et tot existentes omni tali sunt suspitione liberi, et propter tempus, et propter multitudinem, et propter consonantiam, iustum utique erit magis credi eis. Si autem et hoc induxerint testimonium, et hinc uincemus. Etenim et iuuenulae nomen, et de uirginitate assueta est scriptura ponere, non in mulieribus solum sed et in uiris. Iuuenes enim ait et uirgines, cum iunioribus. Et de pupilla autem insidias paciente disputans scriptura rursus, si uocem emisit iuuenula, hoc est uirgo. Et quae ante hoc dicta sunt, hunc sermonem constituunt. Neque enim simpliciter dixit, ecce uirgo in utero habebit, sed prius dicens, ecce dabit dominus ipse uobis signum, tunc intulit, ecce uirgo in utero habebit. Et profecto si non uirgo erat quae conceptura erat, sed lege nuptiarum hoc efficiebatur, quale utique erat signum quod fiebat? Signum enim superexcedere oportet plurimorum consequentiam, et extraneum esse, et transmutatum. Quoniam qualiter utique erit signum? Cum surrexisset autem ioseph a somno, fecit ut precepit ei angelus domini. Vides obedientiam et subiectam mentem? Vides animam erectam, et in omnibus incorruptam? Neque enim cum suspicabatur, indecens

Commented [ND8]: [fol.15vb]

Commented [ND9]: uel excessus add. super lin.

Commented [ND10]: [fol.16ra]

Commented [ND11]: [fol.16rb]

Commented [ND12]: uel rationem add. super lin.

aliquid et inconueniens audire uirginem passus est, neque cum ab hac liberatus est suspicione, expellere sustinuit, sed et retinet, et ministrat, dispensationi omni. Accipe enim ait, mariam mulierem tuam. Vides qualiter continue hoc ponit nomen aeuangelista, nolens reuelari misterium illud interim, et perniciosam illam destruens suspicionem? Accipiens autem eam non cognouit eam, donec peperit filium eius primogenitum. Donec. Hic dixit, non ut suspiceris quod postea eam cognouit, sed ut discas quod ante pressuram omnino intacta fuit uirgo. Quare igitur ait, donec, apposuit? Quoniam consuetudo est scripturae hoc multociens facere, et **seriem** hanc non de determinato ponere tempore. Etenim et de arca ait. Non reuersus est coruus, donec siccata est terra, quamuis postea nec reuersus est. Et de deo autem disputans ait. A seculo et donec seculum, tu es. Non terminos ponens hic. Et rursus **aeuangelizata** **multitudine** pacis donec destruatur luna, non finem dat huic dono elemento. Ita utique et hic donec dixit, ea quae ante pressuram sunt stabiliens, quae autem postea, tibi derelinquens sillogizari. Quod quidem enim necessarium erat ab ipso te discere, hoc ipse dixit quod intacta fuit uirgo, donec peperit, quod autem ex predictis consequens uidebatur et confessum, hoc tibi dimittit intelligere. Puta, quod nequaquam, neque postea ita factam matrem, et noua pressura, et **alieno** puerperio dignam effectam, neque iustus existens ille sustinisset cognoscere in posterum. Si enim cognouisset eam et in ordine **mulieris** habuisset, qualiter ut in procuratam et nullum habentem discipulo commendat, et iubet eum **in** propria eam accipere? Qualiter igitur ait, fratres eius existunt qui circa iacobum erant? Quemadmodum et hic estimaretur uir mariae. Multa enim facta sunt uelamina, ut obumbraretur interim talis partus. Ideoque iohannes ita eos uocat dicens. Neque enim fratres eius credebant in eum, sed tamen qui non credebant prius, mirabiles et illustres postea facta sunt. Quando denique ascenderunt in ierosolimam qui circa paulum gratia dogmatum, ad ipsum confestim intrauerant. Ita enim fuit mirabilis, quod et **episcopatum accepit primus**. Aiunt autem ipsum et dure uitae intendere tantum quod et menbra omnia mortificauerit, et a continua oratione et ab assidua ad pauimentum **omelia id est coniunctione**, frons ita ei indurata fuerit, ut in nullo melius genibus cameli disposita esset, gratia huius repercussionis. Hic et paulum postea in ierosolimam ascendentem, dirigit dicens. Vides frater quot decemmilium sunt conuenientium? Tanta erat ei scientia et zelus, magis autem **tanta** christi uirtus. Qui enim detrahebant **ei** uiuenti, postquam mortuus est, ita stupefacti sunt, quod et cum multo desiderio pro eo mortui sunt. Quae maxime monstrant resurrectionis uirtutem. Propterea enim quae clariora erant postea obseruabantur, ut indubitabilis haec demonstratio efficeretur. Si enim et eorum quos in uita ammirabamur, cum apud nos obierint obliuiscimur, qualiter **quem** et **uiuentem** conuiciabantur, hunc deum postea estimassent? Si **multorum** unus esset christum, qualiter utique et pro ipso se occidi passi essent, nisi manifestam resurrectionis suscepissent demonstrationem?

**Haec** autem non ut audiatis dicimus, sed ut et imitemini fortitudinem et audaciam, et iusticiam uniuersam, ut nullus seipsum desperet, etsi prius deses fuerit, ut in nullo alio abeat spem post misericordiam dei, quam in uirtute propria. Si enim hii a tali cognitione nichil utilitatis habuerunt, et a domo et patria eadem existentes cum christo, donec uirtutem demonstrarunt propriam, quam poterimus assumere ueniam, cognatos et fratres iustos premittentes, si non ualde ipsi fuerimus boni et in uirtute uiuentes? Etenim propheta hoc ipsum enigmatae insinuans dixit. Frater non redimet homo, etsi moyses fuerit, etsi samuel, etsi ieremias. Audi itaque quid ait ad ipsum deus. Noli orare pro populo hoc quoniam non exaudiam te. Et quid miraris si non audio? Etenim ipse ait. Moyses si adesset et samuhel, non utique eorum susciperem pro his supplicationem. Etsi iezechiel fuerit qui deprecatur, audiet quod si steterit noe, et iob, et daniel, filios eorum et filia nequaquam eripient. Etsi abraham patriarcha fuerit qui pro ualde incurabiliter

**Commented [ND13]:** dictionem *add. super lin.*

**Commented [ND14]:** uel edocta *add. super lin.*

**Commented [ND15]:** [fol.16va]

**Commented [ND16]:** extraneo *add. super lin.*

**Commented [ND17]:** uel uxoris *add. super lin.*

**Commented [ND18]:** uel intus *add. super lin.*

**Commented [ND19]:** episcopatum accepit primus. Qualis uitae fuerit iacobus frater domini *notum in marg.*

**Commented [ND20]:** Omelia id est coniunctio *notum in marg.*

**Commented [ND21]:** [fol.16vb]

**Commented [ND22]:** christo *add. super lin.*

**Commented [ND23]:** cui *add. super lin.*

**Commented [ND24]:** uiuenti *add. super lin.*

**Commented [ND25]:** id est aliorum hominum *add. super lin.*

**Commented [ND26]:** Morale quinque quod non in...uirtu...recte...con... *notum in marg.*

egrotantibus et non transmutatis deprecatur, discedet deus ipsum derelinquens, ut non suscipiat pro his uocem. Etsi samuhel **rursus** fuerit qui hoc facit, dicet ad ipsum. Noli flere pro saul. Etsi pro sorore aliquis deprecatur non decenter, audiet rursus quod moyses. Si inspuens inspuit pater in faciem **eius**. Ne ergo in aliis simus confidentes. Habent enim uirtutem orationes sanctorum maximam, sed cum et nos penituerimus et efficiemur meliores. Quoniam et moyses fratrem suum et sexaginta decem milia cum a diuina illa ira tunc eripuisset, sororem non potuit liberare, quamuis non minus peccatum fuerat. Illa enim moysi conuiciata fuit, hic autem impietas fuit delictum. Sed hanc quidem uobis derelinquo questionem, hac autem adhuc difficiliorem soluere temptabo. Quid enim oportet dicere sororem? Qui enim tanto populo prestitit, sibi ipsi sufficere non potuit. Sed post infinitos labores et miserias, et quadraginta annorum preminentiam prohibebatur terrae superuenire, pro qua tot enuntiationes et promissiones fuerunt. Quae igitur fuit causa? Non erat conferens gratia haec sed et multam iacturam habebat, et multos iudeorum claudicare faceret. Si enim quoniam ab aegypto sola eruti sunt, deum relinquentes moysen quaerebant, et ipsi omnia reputabant, si et inducentem uidissent in terram repromissionis inquit impietatis non incidissent? propterea neque sepulchrum eius manifestum factum est. Et samuhel autem saulem quidem non potuit ab ea quae desuper est ira liberare, israhelitas autem multociens saluauit. Et ieremias iudeis quidem non suffecit, alium autem quendam uelauit in prophetia. Et daniel quidem barbaros quidem eripuit cum occiderentur, iudeos autem non eripuit cum captiuarentur. Et in aeuangelis autem uidebimus, non in aliis sed in eisdem, utraque haec effici, et eundem nunc quidem **sufficientem** sibi ipsi, nunc autem tradentem seipsum. Qui enim decem milia talenta debebat, et eripuit seipsum a periculo cum deprecatus esset, et rursus non potuit. Alter autem econuerso prius seipsum tradens, postea maxime sibi ipsi auxiliari potuit. Quis autem hic est? Qui paternam deuorauit substantiam. Quare siquidem desides fuerimus, neque per alios poterimus saluari. Si autem uigilauerimus, et per nos ipsos hoc poterimus, et per nos ipsos magis quam per alios. Etenim deus nobis magis uult dare gratiam quam aliis pro nobis, ut et audaciam assumamus et meliores efficiamur, studentes nos ipsi soluere iram. Ita chananaeae misertus est, ita meretricem saluauit, ita latronem, nullo facto mediatore et procuratore. Et haec dico non ut non deprecemur sanctos sed ut non desides simus, neque recedentes ipsi et dormientes, aliis solis committamus quae secundum nos sunt. Non enim dicens facite uobis amicos, usque ad hoc stetit solum, sed et apposuit ex mammona, ut rursus directio tua fiat. Nichil enim aliud quam elemosinam hic enigmaticae insinuauit, et quod utique est mirabile non **certissime** scrutatur nostra, si tantum destiterimus ab iniusticia. Quod enim dicit, hoc est quae congregasti male consume bene, quae collegisti inique, disperge iuste uelociter. Et profecto hoc qualis est uirtus ex **talibus** dare? sed tamen deus amator hominum existens, et usque ad hoc condescendit, etsi ita fecerimus multa nobis promittit bona. Sed nos in tantum insensibilitatis deuenimus, ut neque ex iniusto demus, sed decem milia rapientes, si minimam particulam proiecerimus, totum estimamus implese. Non audisti paulum dicentem, quoniam qui parce seminat parce et metet? Quare igitur parcis? Nunquid consumptio haec **res** est? Acquisitio est et negotiatio. Vbi enim seminatio est illic aditamentum est, ubi seminatio est illic et messis. Tu autem siquidem terram pinguem et profundam et multa suscipientem colere deberes, omnia quae haberes expenderes, et ab aliis mutuo acciperes, iacturam in talibus parsimoniam existimans esse. Caelum autem debens colere quod nulli inequalitati aerum subicitur, sed omnino redditurum est cum ampliori aditamento quae mittuntur, pigritaris, et remoraris, et non intelligis quid est parcentem perdere et non parcentem lucrari? Disperge igitur ut non deperdas, ne retineas ut retineas, proice ut custodias, consume ut lucreris, etsi custodire ea oportuerit, ne tu custodias. Omnino enim ea perdes. Sed dimitte deo. Nullus enim inde rapit. Non tu negotieris. Neque enim

Commented [ND27]: [fol.17ra]

Commented [ND28]: sororis add. super lin.

Commented [ND29]: [fol.17rb]

Commented [ND30]: diligentem add. super lin.

Commented [ND31]: iniquis add. super lin.

Commented [ND32]: [fol.17va]

scis lucrari. Sed mutuo da ampliores **capite** usuras reddenti, mutuo da ubi nulla inuidia, nulla accusatio, neque insidiatio, neque timor. Mutuo da nullo indigenti, et propter te necessitatem habenti, et omnes nutrienti. Mutuo da esurienti, ut non famem paciaris inopi, ut tuditeris. Mutuare unde non est mortem, sed uitam pro morte fructificare. Haeae enim regnum, illae autem gehennam preparant usurae, haeae enim auariciae, haeae autem philosophiae sunt, et haeae quidem crudelitatis, haeae autem misericordiae. Quam igitur habebimus occasionem cum et ampliora possumus suscipere, et cum stabilitate, et in tempore oportuno, et in libertate multa, et sine offensionibus et periculis et timoribus, derelinquentes haec lucrari, persequimur illa nefaria, et uilia, et fallacia, et excidentia, et multam tribuentiam flammam nobis? Nichil enim usuris turpius est, nichil crudelius. Alienas enim haec negociatur miserias, et lucrum sibi alterius aduersitatem facit, et **mercedem** expetit misericordiae, uelut timens ne appareat **misericos**, et fictione misericordiae profundiore fudit foueam. In auxiliando conterens inopiam, et in porrigendo manum expellens. Et suscipiens quidem ut in portum, naufragio autem summittens hunc ut in uadis et antris. Sed quid iubes ait congregatum argentum et michi utile, alii dare in operationem, et nullam mercedem expetere? Absit, non aio hoc ego, sed et ualde mercedem uolo a te accipere, non talem uilem et paruam, sed multo maiorem. Pro auro enim, caelum uolo te usuram accipere. Quid igitur te ipsum in paupertatem concludis circa terram attractus, et parua pro magnis expetens? Hoc enim nescientis est diuitem esse. Cum deus quidem pro pecuniis paucis ampliora promittit tibi quae in caelis sunt bona, tu autem dicis, ne caelum michi des, sed pro caelo aurum quod perit. Hoc enim uolentis est manere in inopia, ita qui concupiscit diuicias, quae manent pro his quae pereunt, quae inconsumptibilia pro his quae consumuntur, multa pro paucis, incorruptibilia pro his quae corrumpuntur, eliget. Ita enim et illa sequentur. Qui enim terram pro celis petit, et ab hac excidet omnino. Qui autem illos terrae proponit, utraque assumet cum multa superhabundantia. Quod ut et in nobis fiat contempnentis omnia quae hic sunt, eligamus magis quae bona sunt. Ita enim et his et illis fortunabimur, gratia et misericordia domini nostri ihesu christi, cum quo patri simul cum sancto spiritu est, gloria, imperium, honor, in secula seculorum amen.

**Commented [ND33]:** uel forte *add. super lin.*

**Commented [ND34]:** [fol.17vb]

**Commented [ND35]:** in *add. super lin.*